
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

V A C C I N A.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

V A C C I N A ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI ;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto ;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS NETTLES CROKER,

HIBERNUS.

Ad diem 25. Junii, horâ locoque solitis.

— — — *Sparsa coegi.* — — —

— — — *Confluentes fortè timet notas
Decora virgo ; tu faciem eripis
Periclitantem, protegisque
Delicias juvenum futuras.*

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ.

1804.

DISPUTATIO MEDICA
IN ADUOLTA
DE
VACCINA;
AUCTORITATE
ACADEMIAE VIRGINIANAE
D. GEORGE BALDWIN, S.T.P.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

VIRO EXIMIO,

ROBERTO PERCEVAL, M. D.

IN COLLEG. TRINITAT. DUBLINI,

CHEMIÆ PROFESSORI SPECTATISSIMO,

VIRTUTIBUS, MORUMQUE ELEGANTIA,

ET OMNIBUS ANIMI DOTIBUS

QUÆ HOMINEM EXORNANT,

CONSPICUO ;

HANC DISSERTATIONEM ACADEMICAM,

CALAMI JUVENILIS PRIMITIAS,

SINCERUM SED PERTENUE

GRATI ANIMI TESTIMONIUM

SACRUM VULT

AUCTOR.

ERRATA.

Pag. 7. lin. 3. *pro varioliæ lege variolæ*

— 19. — 14. *pro Hoc lege Hæc*

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VACCINA.

PROOEMIUM.

DIFFICILLIME putaverunt majores nostri, horum morborum indagacionem, qui a contagione nascuntur; morbo autem graviori, mitioris interventu occurrere, eos penitùs præteriit: hæc ardua vinci posse, nostræ ætatis philosophorum labores, satis comprobavêre.

A

Inter

Inter has indagationes, five ad utilitatem, vel novitatem ejus spectemus, *VACCINA* nuper reperta, certè primos sibi jure vindicat honores.

HISTORIA.

Quo tempore, vaccina nativa primùm apparuit, non satis inter auctores convenit: JENNER ait, “ This disease was known to our “ oldest farmers, in their earliest days.”

Inter vaccas lactarias, in meridionalibus, et occidentalibus regionibus, Angliæ grassatur. In australi præfecturâ Hiberniæ, juxta Corragiam (*Cork*), diu ruricolis innotuit *. Prætereà,

* Vide BARRY apud *Med. & Physical Journal*.

tereà, intra paucos annos, vaccina apparuit in iis regionibus novi orbis, qui ad septentrionem vergunt*.

Sæpissimè vaccas, vernâ tempestate, (præcipuè si pluviosa sit,) adoritur. Pustulæ in vaccæ papillis, formâ irregulares, colore subcœruleæ vel lividæ, humorem limpidum continentes, et concavam superficiem ostendentes, circumdatæque inflammatione erysipelatosâ; durities et intumescencia vaccarum lactariarum uberum; inter symptomata primaria habendæ sunt. Paulò pòst, vaccæ nonnunquam ægrotant, febricitant, tenera gramina aversantes; cibi appetentia et lactis secretio minutæ sunt, et pustulæ, nisi benè tractatæ sint, in ulcera tetra vel etiam phagadænica transeunt.

Symptomata

* Vide Doctoris COXE, Philadelphix, *Practical Observations on the Cow Pox.*

Symptomata non multùm diversa, in homine, hunc morbum innocuum designant. Maculæ subcœruleæ, et rubore circumcinctæ, brevi tempore in manibus, ægras vaccas mulgentium, apparent ; hæ paulatim, in pustulas concavas et benè definitas increscunt : absorptione factâ lymphaticæ axillæ tument, lassitudo, algor, nausea, cephalalgia, pulsus frequens, dolores in regione lumborum, et rarò leve delirium succedunt : post tres vel quatuor dies hæc symptomata remittunt, ulceribus manentibus, quæ ut in vaccis difficilia sanatu sunt.

Signa quæ, progrediente vaccinâ insitivâ, sese ostendunt, sunt partis incisæ rubor, et circiter horas quadragesimas, vel finem diei secundi, inflammatio, figurâ circulum referens : quarto die, parva elevatio cutis et pustulæ durities, sentiuntur. Signa, quæ quinto die eveniunt, notatu dignissima sunt, quia in omnibus ferè exemplis veræ vaccinæ, optima diagnostica exhibent : vesicula nunc humo-

rem

rem limpidum continet; in media parte deprimitur; margines autem multum elevati sunt, figuraque ejus admodum regularis et circumscripta est. Circiter octavum vel nonum diem, (at interdum maturius,) inquietus fit æger, pustula et axilla dolent, rigores doloresque capitis, artuumque lassitudo; sitis haud modica, frequens pulsus, anorexia, nausea, et raro vomitus, superveniunt. Tamen fatendum est, hæc mala in paucissimis exemplis occurrere; in pluribus enim, nulla ægrotatio percipitur, et adulti hoc morbo impliciti ferè solita munera obire queunt. Interea, pustula augetur; in medio vesicæ, macula subfusca apparet, quæ indies increscit ad undecimum diem; cum scabies, fusca crassaque, a cute resoluta decidit.

Vaccinæ pustulæ structura præter externam propriam formam, a variolosâ vesicâ multum differt: ut debita viri quantitas obtineatur, plures puncturas facere necesse habemus,

bemus, quippe liquor limpidus in cellulis ab invicem separatis continetur.

Notatu dignum est in hujusmodi morbi historiâ, etsi homines a variolâ tutatur, tamen, in nonnullis exemplis, vaccinam semel passos secundum impetum nihilominus experiri posse.

In paucis exemplis etiam, eos qui morbo varioloso priùs afficiebantur, non semper tutos esse a vaccinâ invenimus.

Vaccinæ virus, utrùm a pustulâ vaccæ, vel humani corporis insitione, comparatur, per *vaccinationem*, ad infinitum transferri potest: etiam per humanum corpus transitu, hic lenis morbus magis mitescere videtur.

Vaccina, non nisi insitione, vel tactu, potest grassari. In omni ætate, etiam a teneris annis, in omni corporis temperamento, et in omni
ni

ni regione, Vaccina periculo vacua esse invenitur.

Cùm variolæ et vaccinæ virus in diversis partibus corporis simul inseretur, tabes utriusque in propria parte dominatur, et per insitionem solam vaccinam transfert una, solam variolam altera.

Inter alia præclara hujus æstimabilis morbi, non silentio transeundum est, ejus disseminationem ab fœdis et confluentibus notis variolæ faciem protegere: ah! fortunate JENNER; formosissimis,

“Semper honos, nomenque tuum laudesque manebunt.”

ABNORMIA.



ABNORMIA.

IN nonnullis exemplis, pustula et areola, duos tresve dies, ociùs vel tardiùs, maturescunt. Non exempla deessent, ubi propter peculiarem corporis habitum, pura tabes in systema non potest accipi post multa pericula.

Interdum papularum evanescentium eruptio in brachio apparet, quo tabes inseritur.

In nonnullis, autem, pustulæ vaccinae apparent non solùm in brachio affecto, sed etiam in aliis partibus corporis*.

Existimatum

* Vide COXE'S *Practical Observations on the Cow Pox.* — Vide etiam *Med. & Physical Journal*,
March

Existimatum fuit, has pustulas ex tabo varioloso semper oriri; et fatendum est, exempla a Doctore WOODVILLE tradita hujusmodi fuisse; sed sequentium scriptorum experientiâ discimus, secundares pustulas vaccinas nonnunquam apparuisse, ex quibus virus veram vaccinam excitare valet.

His eruptionibus, sine tabo varioloso, accidentibus, affectio primaria non ingravescere videtur.

Multa exempla vaccinae, in humano systemate, latentis per longum tempus invenimus; unum, ubi virus seipsum non manifestat per dies viginti unos*.

B

DIA-

March 1804; ubi exemplum satis perspicuè narratur, ex quo colligimus, plurimas vaccinae pustulas, viroque proprio fluido impletas, circa labia pudendi apparuisse.

* Vide HUSSON, *Recherches*: etiam Dom. HOLT apud *Med. & Physical Journal*.



DIAGNOSIS.

ETSI ab aliis morbis, qui eruptionem super cutem habent, vaccina facilè dignoscetur, tamen maximi momenti est, ipsius pustulas, ab spuriis accuratè internoscere.

Pustulæ spuriaë omnibus anni tempestatibus accidunt; colore subcœruleo et formâ concavâ veræ vaccinaë omninò carent.

Permolestus pruritus in spuriâ vaccinaë plerumque evenit, et duplex areola vel circuli inflammati, sed minimè tam benè circumscriptâ, vel regulari formâ; et citiùs formari cœpit.

Spuriaë

Spuriæ pustulæ inflammationem erythematicam rariùs ostendunt ; sine ulceratione phagadænicâ maturescunt, ociùsque sanescunt.

In spuriâ pustulâ, humor purulentus flavus, viscidusque continetur, tenui, seroso, colore veræ vaccinæ penitùs carens.

Ut certè de diagnosi statuamus, necesse est, pustulæ progressum, præcipuè post secundum vel tertium diem, assiduè observare. Hæ spuriæ eruptiones mutatione pabuli, uberum lactariarum irritatione, et variis causis, sicut lactis distentione, vel muscarum morsu, oriri videntur.

Maximi interest discernere, utrùm generalis affectio evaserit. Ut de hoc certiores fieremus Dom. BRYCE, Nosocomii Vaccinariii Edinensis chirurgus, proponit duplicem vaccinationem facere, et si recens pustula eodem tempore, ac prior, (sicut in variolâ evenit), maturitatem adipiscitur, de hac causâ opinari licet

licet systema affectum fuisse. Hoc etiam multis periculis comprobavit ingeniosus ille chirurgus*.

PROGNOSIS.

PER dentitionem infantum, vaccina quàm in aliis casibus graviùs urgere dicitur.

In iis exemplis, ubi corpus sulphure imbutum est (sicut in curandâ psorâ accidit), vaccina in systema non potest recipi †.

Idem evenire invenitur, post longum usum hydrargyri.

In

* Vide BRYCE *on Cow Pox*. Edin. 1802.

† Vide Disputat. Med. Inaug. a Doctore TIERNEY nuper edit. in *Glascua*: etiam, JENNER'S *Further Observations*.

In diathesi scrofulosâ, vaccina nativam affectionem mitigare videtur.

In omnibus morbis exanthematicis, vaccina tutò inseratur; sed in teneris infantibus levior est quàm in adultis*.

Ubi octavo vel nono die areola se ostendit, mitior plerumque evadit morbus, quàm seriùs.

CURATIO.

VACCINA auxilium medici rarò postulat: in adultis ubi febris urget, cathartics fortioribus, salibusve mediis, plerumque mitigatur.

In

* Exemplum memoratu dignum, in *Med. & Phys. Journal*, *March* 1803; ubi actio vaccinæ penitùs suspensa fuit, ægro priusquam varicellâ laborante.

In paucis exemplis locali remedio opus est. Si pustula maximè dolet, refrigerantia externè applicata, ut solutio acetitis plumbi in aquâ, acetumve cum aquâ permixtum, ad discutendam inflammationem haud parùm valent.

Dom. GEORGIUS BELL, si inflammatio pustulæ urget, applicationem pulveris aluminis laudat.

Eodem consilio, acumen pustulæ, acidi sulphurici guttulâ tangendum est.

Cùm axillæ glandulæ maximè tument, applicatio unguenti citrini benè respondere solet : de hac causâ, unguenta alia hydrargyri, etiam usurpantur.

VACCINÆ

VACCINÆ ORIGO.

ARGUMENTA, experimentaque de ortu vaccinae separatim tractabimus : nam de hoc duæ opiniones maximè invaluère. Multi medici, et ii haud parvi nominis, putaverunt, nativam vaccinam a morbo primario vaccarum ubera afficiente oriri, et nequaquam, ut JENNER contendit, ex equinis calcibus : ad hoc stabilendum aiunt ;—

1mò, Vaccina inventa est, in iis fundis, ubi nulli equi calcibus ulceratis habiti fuerunt.

2dò, In Galliâ Cisalpinâ et in Hiberniâ, etsi alii vaccas, alii equos curaverint, vaccina inter armenta apparuisset.

3tiò,

3tò, Doctor WOODVILLE et Dom. COLMAN virus ex equorum calcibus ulceratis inserendo, in vaccarum ubera, morbum excitare frustra tentavêre, et virus ex eadem fonte in speciem humanam introductum erat, sed exindè nulla vaccina sequebatur.

4tò, Etiam JENNERIS opinioni objicitur, nullam analogiam inter morbum calcem equi et ubera vaccæ afficientem, apparuisse*.

Nunc

* In hoc loco, oportet me, rei certè admodum inusitatæ, et memoratu dignæ, mentionem facere; nempè, morbum omninò vaccinæ nativæ similem, in caprorum ubera serpentem, a JOANNE JOSEPHO HEYDECK, Prof. lit. in Academiâ regali *San Isidro*, in Hispaniâ, apud *Madrid* nuper detectum fuisse. Prætereà, a fonte supradiçta virus insertum fuit in duorum infantum brachiis, et denique morbum produxit, vaccinæ omninò similem. Lubenter autem confitemus, ad hoc adhuc stabiliendum, multùm deest; nam res ipsa haud parvâ obscuritate tractari videtur.

Nunc ad alia argumenta transimus, quæ vaccinam, a morbo calcium equorum, (Anglicè *grease* vel *scratchy beel*), oriri suadent.

1mò, Vaccina adhuc plerumque detecta est, in illis locis, ubi iisdem famulis vaccæ pariterque equi curæ fuerunt.

2dò, Insitio viri ex equi calcibus, morbum haud multum diversum a vaccinâ, seu affectionem systematis, vel formam pustulæ spectemus, procreare videtur.

3tiò, Ii sanie equorum imbuti, postea contagioni variolæ haud obnoxii fuerunt.

4tò, Vaccina nativa in septentrionali parte Novi Orbis nuper se ostendit ; sed in uno loco solummodò, et hîc tractatio calcium equorum, iisdem famulis peracta fuit, qui vaccas mulserunt*.

C

Sed

* Vide Doctoris REDMAN COXE, *Practical Observations on the Cow Pox.*

Sed huic opinioni accuratissima experimenta, a Doctore Loy, apud *Whitby*, (in comitatu Eboracensi), nuper tradita, maximè favent.

Ex manibus veterinarii, eruptione pustularum, serosum liquorem continentium, et circulo inflammato cinctarum, affectis, virus inserendo in vaccæ ubero, morbum omninò vaccinæ similem inducit. Prætereà, ex eadem vaccâ, virus in pueri brachium translatum fuit, et per totam progressionem affectionis, in illo eadem signa, sicut in vaccinâ, se ostendere: etiam tabo varioloso inserto, nulla sequebatur variola.

In sequenti conatu, rectâ applicatione liquidæ saniei calcibus equi desumptæ, ad corpus infantis, morbum induxit, certè multo acriorem, sed ex toto vaccinæ similem.

Post dies sex, viro ex eodem puero, alii quinque imbuti fuêre, posteàque omnes variolæ contagioni, minùs obnoxii reperti fuerunt.

Planè

Planè constat, a Doctore Loy, quàm difficile est, veram tabem obtinere; ab tribus enim equis virus inserendo, morbum excitare frustrà aggressus est: demùm utcunque equum invenit, per quatuordecim dies affectum, in illo virus limpidum, subcœruleumque fuit, et maximè inquietus fuit febre.

Hinc colligit duas species, morbi *grease* dicti existere; et hinc putat errandi causam, in experimentis Doctoris WOODVILLE et Domini COLMAN, deduci*.

In iis fundis, ubi multi equi et vaccæ simul habiti sunt, nonne tabes ex calcibus equorum,
gramini

* Hoc experimenta, summâ perspicuitate peracta, certè haud parùm valent: nam saniem, ex manibus hominis, priusquam a tabo equoso imbutis, desumptam, vaccæ ubero inserendo, morbum omninò vaccinæ nativæ similè, excitare valuit. Prætereà autem notandum est, ex fonte supradicta, iterum ad hominem tabum transtulit; ibique morbum produxit, omnibus signis propriis vaccinæ veræ ostendentibus. Denique autem ab ipso equo, virus delatum, morbum efficit vaccinæ simillimum, seu naturam ejus, vel vires proprias spectemus.

gramini adhæret, vel humo decidet, vaccisque decumbentibus, ubera eorum pertingeret ?

Etiam ne omninò quidem indagationis indignum videtur, utrum morsu venenato quorundam muscarum, vaccina transferri potest : in aliis locis tale haud insolito exoritur * ?

Ex supradictis, lubenter JENNERIS sententiæ accedimus ; tamen fatendum est, de re tam magni momenti, non satis adhuc cognosci videtur, quo pro certo statuamus.



COMPARATIO ET CONSERVATIO TABI.

MAXIME confert virus vaccinæ accuratè seligere ; quippe in ejus discrimine, uti fama hujus novi et æstimabilis morbi, ita medici, haud rarò versatur.

Multis

* Vide *Philosophical Magazine*, pro mense Augusto 1801 ; etiam *Voyages de Pallas*.

Multis periculis constat, hoc virus maximè pollere, quando manet fluidum, colorem serosum ostendens, et intra diem quintum et octavum desumptum.

Etiam multùm refert nativam tabem, a pustulâ veræ vaccinae seligere; hoc tamen usu solummodò compertum est.

Ex scriptis Domini BRYCE de Vaccina, discimus, illum, inducere morbum, a crustâ siccâ vaccinae pustulae in aquâ solutâ, semper valuisse, etiam post tres menses: si aliis hoc pariter, benè evenerit, maximè utilitatis fuerit enim jam nunc de conservatione tabi non satis constabat.

Limpidum virus plerumque, inter laminas vitri conservatum est, marginibus confertis, mucilaginem gummi mimosi nilotici illinendo.

Doctor PEARSON in phialâ, gas hydrogenium vel nitrogenium continente, siccum et
per

per longum tempus conservari posse invenit.

Dominus BRYCE, uti parvâ phialâ, cum obturamento ad ejus fundum extendente, superficie concavâ, suadet.

Nonne limpidus liquor, ab ipsâ pustulâ per tubum capillarem abstraheretur? sed eo modo, forsitan, fermentatio vel putrefactio* evenerit.

Iis in rure medicinam facientibus multi est, secum virus continuè habere, et ad hoc nihil meliùs est quàm ut pauci inficerentur eodem tempore; nam in hoc primo statu virus certè majis efficax videtur.

VIRI

* Ingens disseminatio vaccinæ per insitionem in regionibus etiam calidissimis, falsam reddere, assertionem in *Diar. Med. & Phys. Lond.* inventam; nempè, vaccinæ virus adeò mutatum esse, calore ultra vel ad gradum nonagesimum FAHR. ut propriis muneribus fungi non valisset.

VIRI INSERTIO.

CONCAVUM circa insertionem musculi deltoidis locum, esse aptissimum puncturam faciendi videtur; nam ibi pustula optimè a frictione tutaretur. In viro introducendo, à WOODVILLE præcipitur, ut scalprum rectâ lineâ descendens, cum cute teneatur, adè ut cuticulâ incisâ lanceolæ mucro sanguine tingatur.

Sed Doct̃or COXE Philadelp̃hiæ, cautè sub cuticulam humorem insinuando acie lanceolæ, saccum triangularem format, in quo tabes benè conservatur, et ad ora vasorum lymphaticorum optimè adhibeatur.

Forsan

Forsan meliùs duobus scalpellis uti ; alium purum, et alterum viro imbutum : nam in insinuando tabem inter cuticulam et veram cutem, humor tenuis a mucrone lanceolæ sæpè obtrudatur.

Si virus per filum inseratur, tantùm necesse est, talem insitionem facere, ut filum in plagâ facilè contineatur, unum vel alterum diem, emplastro adhærente, vel alio modo.

Quod si tabes sicca sit, aquæ calidæ vaporibus, vel guttulâ aquæ, permadescere curandum est.

PRIUSQUAM hanc dissertationem ad extremum perduco, silentio non transeundum est, communicationes haud ita pridem, a Doctore DE CARRO, apud *Viennam* medicinam facientem, ad Doctorem JENNER delatas esse ; ex quibus colligi possumus :

“ Imò,

“ 1mò, Sex millia hominum, apud Constanti-
“ tinapolin, quæ antea vaccinationem perpessa
“ fuerant, contagioni pestis haud obnoxia in-
“ venta fuere.

“ 2dò, Infantes priusquam autem vaccinos,
“ contagioni pestis, matres afficienti, immunes
“ fuisse.

“ 3tiò, In locis nonnullis, juxta Constanti-
“ napolin, ubi ferè omnes vaccæ eruptionibus
“ circa ubera afficiuntur, nec pestis nec va-
“ riola unquam grassari detegerentur.”

Utcunque gratum hoc videatur, tamen
confitendum est, exempla satis perspicua ad-
huc deessent, priusquam de hac re ulterius
aliquid statuamus.

FINIS.

